In nomine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti HLUDOVICUS & HLOTHARIUS, divinâ ordinante Providentiâ Impp. Auguſti, omnibus fidelibus S. Dei Eccleſiæ & noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, notum ſit, Quia Nos, pro divini cultûs amore, & animæ noſtræ remedio, quoddam monaſterium, quod *novâ Corbeia* vocatur, in honorem B. *Stephani* Proto-Martyris infrà Saxoniam, ſuprà fluvium *Wiſera*, in loco, qui dicitur *Hüxori*, conſtrui juſſimus, quod & Viro Venerabili *Adelhardo* conſtruendum regendumque commiſimus, qui erat Abbas in altero antiquiori monaſterio, quod æquè *Corbeia* vocatur, à quo & novum ſuprà dictum monaſterium nomen conſtat eſſe ſortitum. Itaque Nos *divinâ inſpiratione compuncti, & cœleſtis patriæ amore ſuccenſi*, ob *animæ noſtræ ſalutem, conceſſimus eidem monaſterio capellam*, quam dudum Domnus & Genitor noſter KAROLUS, *bonæ memoriæ Piiſſimus* Imperator, in caſtello, quod dicitur *Hereſburg*, conſtrui juſſit, cum omnibus rebus, mancipiis & decimis, ad eam pertinentibus, quantumcunque Domnus & Genitor noſter eidem *capellæ* piâ devotione contuliſſe dignoſcitur, cum omni integritate prædicto monaſterio ad ſubſidia monachorum, ibidem Deo famulantium, per hanc noſtræ auctoritatis donationem, à die præſenti perpetuò habendum atq; poſſidendum conceſſimus & in ditionem ejus tranſtulimus, eô videlicet modô, ut quicquid ab hodierno die *& tempore* de prædictâ *capellâ* & de his, quæ ad eam pertinent, Rectores & Miniſtri Suprà memorati monaſterii, *diſponere atq; ordinare, vel etiam regere pro utilitate ejusdem monaſterii*, vel fratrum in eo degentium voluerint, abſque ullius injuſta contradictione ordinent atque diſponant & faciant, quicquid utilitatibus prædicti monaſterii congruere & convenire perſpexerint. Et ut hæc auctoritas largitionis noſtræ per futura tempora inviolabilem atque *inconcuſſam* obtineat firmitatem, & à fidelibus noſtris, tàm præſentibus, quàm futuris, ſeu etiam ſucceſſoribus noſtris *fidelibus S. Dei Eccleſiæ*, veriùs certiùsque credatur, eam manibus propriis ſubterſignavimus, & annuli noſtri impreſſione ſignari juſſimus.